



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. X. De subiecto Theologiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

quod Deus vere sit subiectum huius scientiæ. Quod etiam manifestum sit ex principiis huius scientiæ, quæ sunt articuli fidei, quæ est de Deo. Idem autem est subiectum principiorum, & totius scientiæ, cum tota scientia virtute contineatur in principiis. Quidam vero attendentes ad ea, quæ in ista scientia tractantur, & non ad rationem, secundum quam considerantur, assignauerunt aliter subiectum huius scientiæ, vel res, & signa, vel opera reparationis, vel totum Christum, id est, caput & membra: de omnibus enim istis tractatur in ista scientia, sed secundum ordinem ad Deum.

Ad primum ergo dicendum, quod licet de Deo non possimus scire, quid est, videtur tamen eius effectum in hac doctrina vel naturæ, vel gratiæ, loco definitionis ad ea, quæ de Deo in hac doctrina considerantur: sicut & in aliquibus scientiis philosophicis demonstratur aliquid de causa per effectum, accipiendo affectum loco definitionis causæ.

Ad secundum dicendum, quod omnia alia quæ determinantur in sacra doctrina, comprehenduntur sub Deo: non ut partes, vel species, vel accidentia, sed ut ordinata aliquo modo ad ipsum.

Conclusio est, *Deus est subiectum huius scientiæ*. Ratio verò, quia eam probat S. Thomas, quæ difficultas videtur, disp. seq. cum doctrina totius articuli examinabitur.

DISPUTATIO X.

De subiecto Theologiæ.

Status questionis. cap. 1.

Opinio Durandi. c. 2.

Refutatur sententia Durandi. c. 3.

Dux alie opinionis. cap. 4.

Deum sub ratione absolutæ Dei esse subiectum Theologiæ, verior sententia est. cap. 5.

Non solum Deus est subiectum Theologiæ respectu veritatum necessarium, sed etiam contingentium. c. 6.

Argumenta quæ possunt opponi. cap. 7.

CAPUT I.

Status questionis.

1. **T**Ametsi præsens controuersia magni momenti non sit, quia tamen non omnino de nomine, sicut multæ ex præcedentibus, sed de re esse videtur, non est silentio prætermittenda. Eius autem gratia duo supponenda sunt. Vnum est, eam locum habere, & in sententia eorum, qui putant, Theologiam esse vnā simplicem qualitatem; & in opinione aliorum, qui docent, esse plures, vnāquamque circa suam conclusionem, ex quibus ordine, quodam vnā scientia constituitur. Cum enim querimus de subiecto Theologiæ, non de subiecto cuiuscunque conclusionis inquirimus, sed de subiecto totius scientiæ; quanuis, ut infra patebit, quamlibet etiam conclusionem ad
Vasquez in 1. part. 2. m. 1.

commune subiectum totius reducere possimus. Alterum est, quod optime notauit Dur. in qu. 5. Prolog. n. 6. nempe hoc interesse inter obiectum, & subiectum alicuius habitus, quod obiectum, si proprie loquamur, est id, quod primo, & principaliter scitur: talis est tota conclusio: illa enim tota cognoscitur.

Probat vero Duran. quoniam idem est cognoscere, & obijci cognitioni: cum ergo conclusio sit, quæ cognoscitur, ac proinde quæ obijcitur, illa erit obiectum habitus, tam scientiæ, quam opinionis. Subiectum verò alicuius habitus, non cui inhaeret, hoc enim sine controuersia est intellectus, sed circa quod versatur, de quo est præsens controuersia, tres debet habere condiciones. Primo debet esse quid incomplexum, ac proinde non est conclusio, sed subiectum conclusionis, id enim est subiectum, de quo in scientia aliquid demonstratur, seu probatur: siquidem scientia habitus est, qui versatur circa conclusionem demonstrandam, seu probandam: de eodem igitur subiecto scientia dicitur esse, de quo est ipsa conclusio: atqui subiectum conclusionis est quid incomplexum: ergo & subiectum ipsius scientiæ. Doctrina hæc est etiam Capreol. in qu. 4. Prol. art. 1. conclus. 2. quam colligit ex S. Thoma in Prol. sentent. art. 4.

Secundo ita primarie in scientia de ipso subiecto tractatur, ut cetera omnia ipsum respiciant, & ei quodammodo attribuantur. Probat Duran. quia de diuersis rebus vnā scientia esse nequit, nisi quatenus cetera omnia in vno vniuntur, tanquam in re, quæ præcipue in ea consideratur.

Tertio denique oportet, ut aliqua de subiecto ipso prædicentur denominatiue: omnis enim scientia ostendit, & demonstrat de subiecto passionem, & alia, quæ ei ad modum passionum conueniunt, sed passio, vel id quod instat passionis conuenit subiecto, de ipso denominatiue prædicatur: ergo necesse est, de subiecto aliqua denominatiue prædicari. Hæc supponit Duran. eo loco. Ceteri vero Scholastici, qui hanc tractant questionem, tamen expresse non distinguant inter subiectum, & obiectum; plures tamen eorum de subiecto non de obiecto loquuntur: maxime verò Gab. & alij Nominales, quos infra memorabimus, & Agidius in 2. p. prol. q. 1. Excipio Scotum, qui quæst. inferius citanda indiscriminatim idem appellat subiectum, & obiectum.

Capreolus verò idem putat esse obiectum formale, quod principaliter consideratur in scientia, & subiectum illius: non tamen obiectum absolute totius scientiæ. Henricus tandem aliud appellat subiectum, aliud vero materiam: idem autem videtur vocare materiam quod obiectum. Quem modum loquendi sequuntur aliqui Scholastici, quos infra referemus. In hac igitur controuersia semper subiectum vsurpabimus in ea significatione, quam dixit Duran. sic enim Scholastici quamplures accipiunt, & de hoc modo maior est difficultas. Ex dictis autem constat, quæstionem non esse solum verborum, sed etiam rerum: cum enim Doctores conueniant in appellatione subiecti, & conditionibus illius, dissident tamen de re, cui tales proprietates in Theologia conueniant.

Posterior.
Obiectum
scientiæ sunt
conclusiones

Duran.

Tres subiecti
conditiones.

2.

Subiectum
scientiæ est
quid incomplexum.

Capreol.

Omnia quæ
in scientia
tractantur
respiciunt
subiectum.

Alique de
subiecto
scientiæ de-
nominatiue
prædicantur.

Nominales.
Gab.
Agid.
Scotus.

3.

Capreol.

Henric.

*Gloss. Gaf-
siod.
Hugo de
Viti.*

*Alexand.
4.*

*Durandi
Triplex
Theologia
acceptio.*

*Prima pars
opinionis
Durandi de
Theologia
primo modo*

Prior ratio.

5.

2. ad Tim. 3.

*Posterior
ratio.*

Permultæ solent in hac questione referri sententiæ primo aspectu non parum diuersæ; quarum aliquæ ad questionem propositam non pertinent, neque inter se, neque alijs vere contrariæ sunt. Prima est Glossæ Cassiodori initio Psalmorum, & Hugonis de S. Victore in Prol. lib. de Sacramentis c. 2. qui dicunt materiam diuinarum Scripturarum, esse opera restaurationis humanæ, nempe incarnationem, & sacramenta ipsius, siue quæ præcesserunt, siue quæ postea secuta sunt. Secunda est Alexandri, qui i. p. q. 1. memb. 3. asserit, materiam sacræ Scripturæ assignari posse, & secundum essentiam, & sic dicit esse Deum; & secundum operationem, & sic dicit, esse opus restaurationis; sicut asseruit Hugo; & secundum virtutem, & sic ait esse ipsum Christum, ac proinde totam materiam Theologiæ esse substantiam diuinam cognoscendam per Christum in opere reparationis. Hæ tamen sententiæ ad præsentem questionem non spectant, nec sibi, aut alijs, quas referemus, aduersantur. Hi enim Doctores non de subiecto, sed de obiecto videntur locuti. Nunc autem controversia solum est de subiecto, modo superius declarato, de quo varie adhuc sunt sententiæ Scholasticorum.

Prima sit Durandi, qui in q. 5. Prol. sicut etiam in prima trifariam accipit Theologiam. Primo pro habitu, quo assentimur ijs, quæ in sacra Scriptura traduntur: & hoc modo idem esse putat Theologiam, & fidem. Secundo pro habitu, quo fides nostra, & quæ in Scriptura tradita sunt, defenduntur, & explicantur. Tertio, pro habitu, qui deducit conclusiones Theologicas ex principijs. De subiecto igitur tria docet: primum est, subiectum Theologiæ primo modo usurpatæ esse actum meritorium: sic docet quæst. 5. num. 9. idem asserit nu. 21. de Theologia tertio modo accepta, de qua modo est peculiaris controuersia.

Probat verò duabus rationibus: prior est huiusmodi; illud est subiectum in aliqua disciplina, cuius cognitio est proximus finis illius discipline; cognitio enim subiecti secundum se, & secundum ea, quæ ei tribuuntur, vt proximus finis, in qua, quæ facultate queritur: nam quamuis in scientia speculatiua finis proximus, & simpliciter ultimus sit perfecta cognitio subiecti, quæ ad nihil aliud ordinatur; in scientia autem practica, cognitio subiecti non sit finis ultimus, quia tendit ad opus; est tamen finis proximus: sed finis proximus sacræ Scripturæ, quæ est Theologia primo modo, est cognitio actus meritorij, vel eius qui habet ordinem ad beatitudinem: ergo ille est subiectum Theologiæ primo modo: proximum autem finem sacræ Scripturæ esse cognitionem actus meritorij, probat Durand. ex illo 2. ad Timoth. 3. *Omnia doctrina diuinitus inspirata est utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Esse igitur hominem instructum in iustitia, & pietate, proximus finis est huius Scripturæ.

Posterior ratio. Illud est subiectum alicuius facultatis, quod in ea præcipue consideratur, ceteraque omnia ipsum respiciunt, & quodammodo ei

attribuuntur; vt ex secunda notatione colligitur: huiusmodi est in Theologia actus meritorius: quæcunque enim traduntur à principio Genesis, vsq; ad finem Apocalypsis, respiciunt actum meritorium, & ei quodammodo conueniunt, quia vel sunt præcepta, aut consilia bene viuendi, vel exempla ad hoc ipsum ordinata, vel denique pœnæ, & pœmia, quæ bene aut male operantibus Scriptura proponit: imo verò ea, quæ de Deo in se, & de Deo incarnato scripta sunt, & credenda traduntur, ad ipsum etiam actum meritorium ordinem habent: sicut dicitur Ioan. 20. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.* quædam etiam proponuntur, vt regula operis meritorij. Deniq; idem confirmat Durandus multis Scripturæ testimonijs, quibus Scriptura sacra dicitur scientia salutis; subiectum igitur Theologiæ primo modo acceptæ est actus meritorius.

De Theologia vero tertio modo, quatenus deducit conclusiones, idem docet: probat autem, quia vel ex articulis fidei deducitur aliquid speculatiuum, vel aliquid practicum: si aliquid speculatiuum, idem est subiectum talis habitus deducendis conclusionibus ex articulis, & habitus fidei circa ipsos articulos, ex quibus illud colligitur. Subiectum enim conclusionis in demonstratione, aut in syllogismo directè concludente, est subiectum minoris propositionis: sed minor propositio demonstrationis Theologiæ semper est articulus fidei: in ipsa igitur conclusione idem erit subiectum, atque in articulo fidei; ac proinde idem erit subiectum Theologiæ primo, atque tertio modo usurpatæ: minorem autem propositionem in demonstratione Theologica esse articulum fidei, ostendit Dur. exemplo huius demonstrationis. Vbi est vnitas essetia in tribus suppositis realiter distinctis, non potest esse distinctio per absolute: sed in Deo est vnitas essentia in tribus personis: ergo in Deo non est distinctio per absolute.

Secundo docet Durandus, subiectum Theologiæ secundo modo, quæ est ad explicanda, & defendenda mysteria fidei, esse Deum. Ita asserit num. 13. probat autem, quia Theologia quæ declarat, & defendit mysteria nostræ religionis, præcipue versatur circa articulos de Deo secundum se, & de Deo incarnato: quanquam enim Scriptura, & fides nostra non modo tradat, quæ ad Deum secundum se, aut ad Deum incarnatum spectant, sed etiam quæ nostram iustificationem, & opera meritoria respiciunt; illa tamen habent rationem principij in sacra doctrina, & difficiliora sunt: hæc vero habent rationem conclusionis, nec peculiariter præferunt difficultatem, suppositis articulis de Deo, tanquam principijs. Si enim supponamus eam, qui dixit Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, fuisse Filium Dei incarnatum*, optimè, & facillime colligimus, dilectionem Dei esse apud Deum meritoriam, & sic de alijs. Scriptura igitur, & fides nostra non indiget defensione, aut declaratione quoad conclusiones, quas colligit; sed quoad principia, ex quibus deducit: cumque principia sint articuli de Deo secundum se, aut de Deo incarnato: conclusiones verò, de nostris operibus meritorijs, vt dictum est; consequitur subiectum Theologiæ, quæ in defensione fidei versatur, non esse actum meritorium, sed Deum.

Tertio

De Theologia tertio modo.

7. Secunda pars sententiæ de Theologia secundo modo. Ratio secunda pars.

Ioan. 14.

Tertia pars de eadem Theologia secundum modum.
Ratio tertia pars.
 Tercio denique asserit, subiectum Theologiæ hoc modo non esse Deum sub ratione absoluta, quia Deus est, sed sub ratione determinata, & respectu Saluatoris: ita tradit in ea q. 5. n. 16. & 17. Confirmat autem hac ratione. Idem est subiectum Theologiæ hoc modo sumptæ, & ipsius fidei: idem enim est subiectum alicuius habitus, & conclusionis, quam habitus deducit, conclusio autem, quæ deducit habitus Theologiæ hoc modo est ipsa articulus fidei: idem ergo est subiectum Theologiæ, & articulus fidei: sed in articulis fidei Deus non est subiectum, non sub ratione absoluta, sed sub determinata. Vt enim dixerat qu. 1. num. 12. Deus non est subiectum fidei sub ratione scibilis, sub qua multa possunt de ipso demonstrari: alioquin aliquis articulus fidei viatori posset esse evidens: De Deo autem sub ratione absoluta, quia Deus est, multa possunt demonstrari, ut quod sit unus, intelligens, omnipotens, &c. Quare Deus sub ratione absoluta non est subiectum fidei: ergo neque Theologiæ.

Postremo Deum esse subiectum Theologiæ secundo modo acceptæ sub ratione Saluatoris, probat nu. 17. illius q. 5. Primum, quia hæc ratio primarie cadit sub fide: in omni enim statu fuit fides Dei saluatoris: tum etiam, quia sub hac ratione continentur multa alia mysteria. Ad hæc, sub ea ratione Deus est subiectum fidei articulum, sub qua præsertim habet ordinem ad opus meritum, eo quod principia per se habent habitudinem ad conclusiones: articuli autem fidei sunt principia respectu eorum, quæ in sacra Scriptura concluduntur de opere merito. Vt superius dictum est: quare quod est subiectum fidei articulum, debet habere habitudinem ad opus meritum: Deus autem potius sub ratione saluatoris, quam sub alia, habet hunc ordinem: ergo sub illa ratione debet esse subiectum: posteriore minorem probat ipse Durandus ratione quadam, quam consulo prætermitto.

CAP. III.

Consuetudine sententia Durandi.

Prima pars sententia Durandi.
 Hanc opinionem sigillatim refellere ex ipsius Durandi principiis, non erit difficile: admissa ergo illa Theologiæ diuisione, saltem apparet, quod primo docet, nimirum subiectum Theologiæ primo: & tertio modo esse actum meritum: si enim sermo sit de Theologia primo modo, hoc est, de fidei mysteriis, quæ in Scriptura, aut alio modo tradita sunt, conditiones subiecti ab ipso etiam Durando initio assignatæ non possunt in actum meritum contineri: quoniam de ratione subiecti non est id, quod ipse in primæ ratione dixit, scilicet esse finem proximum scientiæ: sed ut in secunda ratione docuit, & supra notauimus, ea est conditio subiecti, ut cetera omnia ei tribuantur, & ipsum quodammodo respiciant: quamvis ergo actus meritorius esset finis proximus Theologiæ primo modo: si tamen non est id, cui cetera omnia attribuantur, sed hoc potius est Deus, non erit subiectum Theologiæ actus meritorius, sed Deus: atqui actus meritorius cetera omnia non tribuitur: nam mysterium Trinitatis non respicit actum meritum tanquam subiectum, etiam si credere hoc mysterium, meritum sit, potius Trinitati, quæ proponitur nobis cre-

Videtur in 1. part. Tom. 1.

denda tribuitur actus meritorius, quia est auctor illius: ergo non actus meritorius, sed Deus habet illam primam conditionem subiecti.

Præterea ex eo quod mysterium incarnationis proponatur, ut regula actus meritorij, actus ipse non debet comparari, ut subiectum cum mysterio incarnationis, sed potius contra. Quo fit etiam, ut Theologia tertio modo non habeat pro subiecto actum meritum, ut falso quoque putauit Durandus: quia siue ex articulis fidei sequatur quid speculatiuum, siue practicum, eadem ratio huius esse debet, atque Theologiæ primo modo acceptæ, ut etiam ipse fateretur: cum ergo iam probatum sit, subiectum Theologiæ primo modo, non esse actum meritum, sed Deum, sic etiam de Theologia tertio modo dicendum est.

Secundum quod asserit Durandus, nempe subiectum Theologiæ secundo modo non esse actum meritum, sed Deum, etiam si verum sit, doctrinæ tamen ipsius iam traditæ non satis consonat: si enim subiectum Theologiæ primo modo nimirum pro fidei mysteriis, est actus meritorius, non Deus; idem erit Theologiæ secundo modo, quæ eadem mysteria defendit: primum quidem, quia defensio, & declaratio non tantum est necessaria, ut ipse putauit, articulis de Deo secundum se, & de Deo incarnato, sed etiam articulis iustificationis, meritorum, & sacramentorum; contra quos non pauciores errores, quæ contra alios fuerunt, & indies oriuntur: ergo si fides habet actum meritum pro subiecto, defensio illius eundem habebit. Quocirca licet concedamus Durando, ea mysteria, quæ de iustificatione & meritis habemus esse conclusiones articulum, quos de Deo secundum se, & incarnato credimus; difficultas nihilominus erit, non solum in ipsis articulis, sed etiam in conclusionibus de iustificatione, & meritis inde deductis: quod sine controversia non sit, quia ratione Dominus in Scriptura tradidit, quæ ad rationem meriti, & iustificationis pertinent. Quæ de causâ quidam admittentes articulos de Deo, & Scripturam ipsam, multa prauè intellecta de iustificatione, & meritis docuerunt. Deinde dici non potest, articulos omnes de Deo esse principia articulum de meritis, & iustificatione, hi enim, & ceteri omnes solum videntur supponere, & Deum esse, & eos articulos nobis tradidisse. Mysterium verò Trinitatis, & incarnationis quoad omnia, non videntur supponi, tanquam principia, ut putauit Durandus.

Tertium denique quod dixit, nec speciem probabilitatis videtur habere; nam concedamus ei idem esse subiectum articulum fidei, qui defensione indigent, & Theologiæ secundo modo acceptæ: demus etiam Theologiam eo modo versari solam circa articulos de Deo secundum se, & de Deo incarnato: quia his solum defensio necessaria sit, ut ipse contendit: ob id tamen non cogimus, nec possumus dicere, Deum non sub ratione Dei, sed sub ratione determinata Saluatoris, esse subiectum illius habitus: subiectum enim alicuius habitus, ut supra diximus ex eodem Durando, illud est, cui tribuuntur, aut de quo dicuntur cetera, circa quæ habitus ille versatur, atque in complexum aliquid est: huiusmodi autem est Deus sub ratione Dei, hoc est sub ratione primi entis, quod nomine, Deus, & multis alijs significamus: cum verò dico sub ratione Dei, non est intelligenda ea ratio, à qua

D 3

nomén

Refellitur, secunda pars prima ratione.

Secunda ratio.

Tertia pars refellitur. Deus sub ratione Dei, non sub ratione saluatoris est subiectum Theologiæ.

nomē, Deū impositū est, operatio videlicet ipsius, de qua disp. 8. c. 1. dicemus. Quod enim de Deo multa demonstrantur prædicata, quæ naturali ratione deduci possunt, non obest, quominus sit vere subiectum Theologiæ eo modo acceptæ: nam multa alia de substantia ipsius sola fide, & reuelatione credimus, quæ nulla ratione naturali demonstrari possunt: ergo subiectū huius fidei, & Theologiæ, quæ ipsam defendit, in his articulis, qui indigent declaratione, & defensione, est ipse Deus sub ratione absoluta Dei: atque ita corrumpit ratio Durandi, quæ probare volebat, Deum sub ratione Dei, non esse subiectum Theologiæ hoc modo.

Præterea non satis probatur, Deum sub ratione Saluatoris, esse subiectum Theologiæ hoc modo ex eo, quod fides illius in omni tempore fuerit necessaria: hinc enim solum fit, ut articulus iste sit inter alios præcipuus, non autem, ut ipsi tanquam subiecto, cetera omnino, quæ fide credimus, conueniant, & ad ipsum ordinentur: tum quia, ut infra c. sequenti dicemus, Deus saluator, est articulus complexus, qui habet pro subiecto Deum ipsum, cui tribuimus esse saluatorem, sicut cetera, quæ de ipso credimus, & prædicamus: subiectum autem alicuius habitus debet esse quid incomplectum, ut prima notatione dictū est, de quo cetera prædicantur: tum etiam quia cetera, quæ Deo tribuuntur, non omnia de ipso sub ratione Saluatoris, sed de ipso absolute prædicantur: ergo potius Deus sub ratione Dei, quam sub ratione Saluatoris, est vniuersale subiectum. Ad hæc non est necesse, ut contendeat Durandus, Deum esse subiectum Theologiæ sub ea ratione, sub qua potius respicit opus meritorium, sed sub illa, quæ incomplectum est, & ita vniuersalis, ut ei cetera eo modo, quem diximus, tribuantur: id quod absque dubio habet sub ratione absoluta Dei.

Hactenus contra Durandum ex ipsius principijs ita pugnatum est, ut simul etiam omnia ipsius argumenta dissoluta maneant. Nunc aliorum sententias referamus, qui omnes nulla facta distinctione Theologiæ, absolute quæstioni respondent: quocumque enim modo accipiat, idem subiectum habet.

C A P. IV.

Dua alia opiniones.

2. sententia Bonauent. Okam. Gabr. Albert.
Secunda igitur sententia est Bonauent. quæst. 1. Prolog. Okami q. 3. aliquantulum ante finem, & Gabriel. q. 9. art. 2. cum quibus conuenire videtur Albertus. p. Summ. tract. 1. qu. 3. memb. 1. & in d. art. 2. asserentium, tribus modis subiectum Theologiæ accipi posse: ex quibus tertio modo potius obiectum, quam subiectum vocari debet. Iuxta hunc modum dicunt, subiectum vniuersale, seu commune, sub quo continentur omnia, quæ tractantur in Theologia esse signa, vel res. Sed præterquam quod subiectum hoc modo ad præsentem quæstionem non pertinet, ut superius c. 1. notauimus adhuc hoc modo communis ratio obiecti totius Theologiæ non recte assignatur. Primum quia hæc non est adequata ratio omnium, quæ tractantur in Theologia, sed multo vniuersalior: sub ea namque comprehenduntur alie res, & signa de quibus Theologia non differit: tum etiam quia eadem ratione possemus res in vni-

ARTIC. VII.

uersum appellare obiectum philosophiæ, aut metaphysiæ. Ad hæc necessarium non est, vnam adæquatam, & communem rationem obiecti habitibus, aut facultatibus assignare, ut disput. 9. c. 3. prædictum est.

Hæc ergo tertia acceptione omiſſa, prædicti Doctores affirmant, subiectum Theologiæ alijs duobus modis vsurpari. Primum, inquit, est subiectum radicale, sic appellat Bonauentura: seu quod primum est perfectione, sic vocant Okam, & Gabriel. Albertus vero principale, & hoc modo primum subiectum Theologiæ est Deus: Quia dignitate ceteris omnibus prior est, & veluti fundamentum eorum. Deinde dicitur subiectum integrale, sic appellat Bonauentura: Gabriel vero, & Okam vocant subiectum continentia: & hoc modo dicunt, Christum esse subiectum Theologiæ: eo quod integrale contineat naturam humanam, & diuinam. Addit Bonauentura Christum hoc modo non tantum esse ipsam personam cum duabus naturis, sed cum omnibus, etiam mēbris mysticis, & quæ ad illam spectant. Hæc vero ratione videntur solum assignare subiectum commune continens omnia, quæ tractantur in scientia: de quo, ut iam diximus, non est multū curandum. Imo si ita esset, non oporteret assignare tertiam illam acceptionem, quam supra retulimus; siquidem Christus hoc modo, est vniuersale obiectum Theologiæ.

Horum itaq; sententia in eo tantum nobis probatur, quod asserunt, Deum esse subiectum Theologiæ: ei namq; conditiones illæ subiecti conueniunt, ut infra clarius patebit. Quare fallitur etiam Albertus, cum asserit, Christum secundum suam personam in duabus naturis, esse subiectum, de quo demonstrantur passionēs in Theologia: Nam sicut Deus glorificatur, aut Saluator non potest esse subiectum, ut etiam fatentur Okam, & Gabriel, quia subiectum debet esse quid incomplectum, ut de ipso non supponatur facta aliqua prædicatio, sic etiam non potest esse Deus homo. Alijs rationibus impugnat Scotus hanc sententiam sub quæst. 3. Prologi quæst. laterali 2. §. Ex prædictis apparet, quas consulo prætermitto.

Tertia sententia est aliorum asserentium, Deum quidem esse primum subiectum Theologiæ, non sub ratione Dei absolute, sed sub ratione glorificatoris. Ita docuit Greg. q. 4. Prolog. art. 2. & Marfil. q. 2. art. 5. Propositione 1. 2. & 3. Consentit Albertus in 1. d. 1. art. 2. qui omiſſa ratione subiecti communis, quam in secunda sententia retulimus, in qua cum Bonauentura, & alijs conuenit, pronunciat subiectum Theologiæ speciale, esse Deum non absolute, sed quatenus est alpha, & omega, hoc est, principium & finis. Omnia enim, quæ Theologia tractat, considerat quatenus sunt ab ipso, & propter ipsum. Conuenit ergo Albertus cum alijs, sed addit peculiarem aliam rationem, sub qua etiam Deus est subiectum, nempe rationem principij. Id ipsum asserit Agid. in Prolog. p. q. 1. nisi quod rationem principij refert tantum ad restaurationem nostræ salutis. Hanc sententiam probat primo Greg. ex August. 14. de ciui. c. 1. ubi dicit Theologiam, quam ipse toto capite appellat sapientiam, de ijs rebus differere, quibus fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur. Mani-

Subiectum radicale Theologiæ est Deus Bonauent. Okam. Gabr. Albert. Subiectum integrale Theologiæ Christum.

14.

15.

Scotus.

3. sententia Deus ut glorificator subiectum Theologiæ Bonauent. Marfil.

Agidius.

August.

16.

Manifestum autem est non loqui de fide solum: subiungit enim. *Qua scientia non possent fideles plurimi, quantum polleant ipsa fide plurimum:* loquitur ergo de scientia Theologiae: qua probatur, & defenduntur mysteria, ideoque dixit, hac scientia, fidem gigni: Doctores enim Theologi in ea petiti plurimos ad fidem conuertentes, in ipsis fidem gignunt, nutriunt, & roborant, dum indies magis, ac magis eos doctrina mysteriorum informant. Quocirca, cum dicat Augustinus, hanc scientiam esse de iis rebus, quae ducunt nos ad beatitudinem, aperte indicat, Deum sub eadem ratione esse obiectum huius scientiae, sub qua est etiam obiectum beatitudinis ad quem res ipsae qua in ea tractantur, perducunt. Eadem sententia suaderi potest rationibus, quibus probant Gregorius, & alij, Deum sub ratione absoluta Dei, non esse subiectum Theologiae; eas tamen, quod directe pugnent contra veriorum sententiam, inferius referemus.

Hanc opinioem impugnant Okam, & Gab. loco citato hoc optimo argumento. Ratio Glorificatoris, Redemptoris, & alia id genus, non sunt rationes subiecti, sed praedicati, quia, ut supra dicebamus, in hoc complexo, *Deus glorificator*, supponitur aliqua enunciatio, in qua, Glorificator, est praedicatum, & Deus subiectum, sed subiectum scientiae debet esse incomplexum, de quo aliquid enunciamus: ergo Deus glorificator non est subiectum Theologiae, sed Deus absolute. Secundo Scotus q. illa 2. lateral. §. *Contra istos*, & Bassolis q. 4. Prol. art. 1. §. *Secundo proba*, hac ratione eandem sententiam refellunt. Subiectum scientiae realis non potest esse ens rationis, vel ratio formalis subiecti non potest esse ens rationis, sed ratio Glorificatoris est ens rationis, sicut quaecumque, quae in Deo habent respectum ad creaturas: ergo sub illa ratione non potest esse subiectum. Alias quoque adducunt rationes, quae ad primam reduci possunt.

Hac tamen ratio, licet non assumat verum, nimirum scientiam realem non posse esse de subiecto, quod tantum est ens rationis. Id tamen in Theologia verissimum est, quia licet consideret multa in Deo, per respectum ad creaturas, qui tantum est rationis: tamen non omnia, quae tractat, habent respectum rationis, neque ea de subiecto aliquo, quod sit ens rationis, sed de ipso Deo considerat. Quod si aliquis respondeat, rationem Glorificationis non accipi pro respectu illo ad creaturas, sed pro essentia ipsa divina, qua beamur, hac sane realis est: verum, ut notauit Bassolis, si Deus hac ratione esset subiectum Theologiae, esset quidem sub ratione deitatis, sub qua est obiectum beatitudinis. Ex quo tertia etiam ratio desumitur aduersus Gregorium, si enim, ut ipse faretur, idem est subiectum Theologiae, quod est obiectum beatitudinis, erit Deus sub ratione Dei subiectum Theologiae, hac enim etiam ratione beati, nam ratio glorificationis est denominatio quadam extrinseca proveniens ab actu beatitudinis, sicut denominatio scibilis ab actu sciendi, quae non sunt de ratione obiecti, aut subiecti, quatenus ad ipsum scientia referuntur, ut patet ex doctrina tradita disp. 7. cap. 3.

CAP. V.

Deum sub ratione absoluta Dei esse subiectum Theologiae, verior sententia est.

Postrema sententia mihi maxime probatur, quae affirmat Deum sub ratione absoluta Dei esse subiectum Theologiae: eam tradiderunt S. Thomas, Caiet. & recentiores aliqui in hoc articulo. Henricus in Sum. art. 19. q. 1. Ricard. in Prol. q. 6. Scot. q. 3. in 2. q. lateral. §. *ex dictis patet* §. *ad primam questionem*. Scotus. & §. *Nunc autem videndum est* Bassolis quaest. 4. a. 2. Capreol. q. 4. a. 1. conc. 5. addita etiam doctrina, quam tradit in calce art. Maior. q. 7. circa finem. Canus 12. lib. de loc. c. 2. Quod vero ait Henricus quodlib. 12. q. 1. videlicet Deum sub ratione infinitatis esse subiectum scientiae, quam Deus habet de seipso, non autem scientiae, quam Beati, aut viatores de ipso habent, contra praedicam sententiam non est. Nam in eo quodlibet asserit Deum sub ratione infinitatis formaliter, esse subiectum scientiae, quam ipse de se habet: non solum quia Deus cognoscens se ipsum videt se esse infinitum, nam etiam creatura cognoscit Deum infinitum esse, sed quia Deus se infinitum, & infinito modo intelligit ita, ut perfectio cognitionis rei cognitae aequatè respondet: & ideo asserit, infinitatem se habere ex parte ipsius subiecti, quod cognoscitur formaliter: at cognitio creaturae, finitae certe perfectionis est, & ita, quantum intelligat Dei infinitatem, ei adaequatè non respondet. Atque hac ratione dixit Henricus, Deum, non sub ratione infinitatis formaliter esse subiectum scientiae creatae, sed infinitatem ecomitanter tantum se habere. Cum igitur hac postrema sententia asserit, Deum sub ratione absoluta Dei esse subiectum Theologiae, intelligit Deum non comprehendendo infinitatem illius, aut aliud attributum: nam infinitum, & cetera attributa tantum passionem de Deo demonstrat. Vtrum vero ratio infinitatis formaliter comparetur cum subiecto Theologiae, an ecomitanter iuxta sententiam Henrici, non est praesentis controuersiae.

Deinde obseruandum est Deum non solum esse subiectum Theologiae quoad eam partem, quae versatur circa veritates necessarias, sed quoad eam etiam, quae de contingentibus est, ut de iustificatione, incarnatione, &c. Ut admonet Scotus, ceteri namque absque distinctione loquuntur praeter Bassolis, qui in eo art. 2. §. *De Theologia vero*, censet, quoad eam partem, quae circa contingentia versatur, Deum non esse subiectum sub ratione Deitatis, sed sub alia ratione, ut sequenti dicemus. In confirmationem huius sententiae S. Thomas & Henricus hac vtuntur ratione: sic se habet subiectum ad scientiam, sicut obiectum ad potentiam, vel habitum: illud autem est obiectum potentiae, aut habitus sub cuius ratione cetera omnia referuntur ad potentiam vel habitum: sicut color ideo est obiectum visus, quia cetera, ut lapis, & homo, referuntur ad visum, eo quod habeat colorem: illud igitur erit subiectum Theologiae sub cuius ratione omnia referuntur ad ipsam, atque omnia de quibus tractat Theologia considerantur in ea, vel quia sunt ipse Deus, vel quia ad ipsum ut ad principium, & finem ordinem habent: ergo Deus est proprium subiectum Theologiae.

Hac est prima ratio S. Thomae, quae optime probat, si propositio assumpta in ea rectè intelligatur. Est ergo comparatio inter obiectum habitus, & subiectum huiusmodi intelligenda: quemadmodum nihil est obiectum potentiae, vel habitus, quod non habeat rationem illam communem obiecti, vel essentiae, sicut albedo, vel accidentarie,

28.
S. Thom.
Caiet.
Recentiores
Henric.
Ricard.
Scotus.
Bassol.
Capreol.
Maior.
Canus.
Henric.

Prima
ratio.
19.

Secunda
ratio.

Scot.
Bassol.

Ratio
S. Thom.
S. Thom.
Henric.

20.

S. Thomae
Explicatur
ratio.
Quomodo
subiectum
scientiae
comparatur
cum
obiecto
potentiae
acciden-

Okam.
Gabriel.
Refellitur
sententia
Gregor.

Scot.
Bassol.
17.

tarie, sicut paries, & eo modo aliquid est obiectum visus, nimirum aut per se, aut per accidens, sicut rationem coloris participat: sic etiam omnia, quæ considerat habitus, habent aliquem ordinem, vel spectant aliquo modo ad subiectum illius, non quod ita subeant rationem subiecti, ut eis per prædicationem conueniat, sed quod aliquomodo ea de subiecto ipso in recto, vel in obliquo dicantur, & ideo aliquem ad illum ordinem habeant.

Ratio Scoti eadem reddit. Scot.

Ad hanc rationem reuocari potest ratio Scoti, qui in q. 2. illa laterali §. De secundo, illam solam assignat proprietatem subiecti, in qua ceteras, quas ex mente Durandi initio adduximus, videtur optime comprehendisse. Eadem est, ut ipsum contineat in se veritates omnes, quæ in scientia considerantur: esse enim debet causa, & principium omnium illarum, ut inductione constet. Quare

in §. contra istud, respondens ad 1. rationem, quam contra adduxit: dicit alio modo obiectum comparari cum potentia vel habitu, quam subiectum: illud enim comparatur ut id, quod mouet tantum, hoc est, ut id, quod intelligitur, vel cognoscitur, quod sane conuenit cuiusque proprietati, aut conclusioni, quæ de se aliqua habitus considerat: at verò subiectum comparatur sicut causa ceterorum omnium, circa quæ habitus ille versatur. Ex quo probatum manet id, quod S. Thom. assumpsit, in maiori propositione; videlicet, illud esse subiectum Theologiæ, sub cuius ratione cetera omnia referuntur ad Theologiam, hoc est tanquam habentia ordinem ad illud, ab ea considerantur, quo fit, ut debeat esse quid in complexum, ut si primum fundamentum ceterorum, & de ipso cetera omnia quodammodo prædicantur: huiusmodi autem est Deus sub ratione absoluta Dei. Ei namque tanquam primo fundamento conueniunt cetera, quæ in Theologia tractantur, vel quia sunt ipsi essentialia, aut per modum proprietatis à nobis considerantur, vel quia ab eo facta sunt, & de ipso, ut de causa dicuntur. Merito igitur Theologia nostra de ipso Deo, ut de subiecta materia disputare dicitur, demonstrans quæ illi essentialiter conueniunt, & quæ sola sua voluntate ipsi tribuuntur.

Huc etiam spectat ratio secunda S. Thomæ in hoc articulo, quæ talis est: idem est subiectum principiorum, & totius scientiæ: nam tota scientia virtute continetur in principiis: sed Deus est subiectum articulum fidei, qui sunt Theologiæ principia: de ipso enim Deo credimus omnia, quæ in articulis enuntiantur: ergo Deus est subiectum Theologiæ. Aduertit tamen Caietanus in hoc art. §. Ad hanc obiectionem, non satis conuenire S. Thomam, & Scotum in modo quo asserunt subiectum virtute continere conclusiones, quæ demonstrantur in scientia. Scotus enim putat in subiecto, ut in causa sufficienti, & adæquata, licet non proxima contineri: dicit non proximam, quia secunda passio non continetur, nisi media prima: dicit autem sufficientem, & adæquatam, quia censet non posse esse subiectum alicuius scientiæ peculiaris aliquid commune secundum genus, sed secundum speciem specialissimam, quam vocat sufficientem, & adæquatam causam omnium conclusionum.

Sententiam hanc paucis indicat: videtur Scotus in illa q. 2. laterali §. Contra istud arguitur, in solut. 2. doctrinam verò S. Thomæ ipse Caietanus aliter explicat. Censet enim necessarium esse in

In subiecto quomodo conclusiones continentur. S. Thom. Caiet.

subiecto alicuius scientiæ conclusiones contineri, non ut in causa sufficienti, & adæquata: sed saltem, ut in causa prima, & in suo ordine sufficienti: inquit in suo ordine, quia adiuncto aliquo, quod participat rationem illam communem, ex ea sufficienter oritur. Quocirca ratio aliqua generica potest esse subiectum in aliqua scientia, quæ sit una secundum speciem, ut numerus generatim in Arithmetica: posita enim communi ratione numeri, & adiuncta ratione numeri particularis: sequuntur singulæ veritates, quæ in numero, ut in causa prima, & sufficienti, in suo ordine continentur. Hanc doctrinam non tradidit expresse S. Doctor in articulo, optime tamen eam colligit Caietanus ex eo, quod secundum doctrinam Doctoris sancti, & communem omnium sententiam, potest esse una scientia secundum speciem, circa subiectum aliquod vniuersum secundum genus: qualis est Arithmetica circa numerum, philosophia circa ens mobile, &c. Verum quod attinet ad præsentem controuersiam, cum subiectum Theologiæ, scilicet Deus, sit vnum secundum speciem, imo secundum numerum, continebit omnes veritates huius scientiæ tanquam adæquata, & sufficienti causa illarum.

CAPVT VI.

Non solum Deus est subiectum Theologiæ respectu veritatum necessariorum, sed etiam contingentium.

Superest vero difficultas cum Bassoli, an eadem ratione Deus sit subiectum Theologiæ quoad veritates necessarias, & contingentes. Ipse enim, ut præced. c. commemorauimus, putat esse subiectum respectu veritatum contingentium secundum rationem non deitatis, & essentialis, sed voluntatis: eo quod Deus non sit causa rerum in quantum est, sed in quantum vult, ut ostendimus disp. 81. c. 1. Mihi autem placet summopere sententia Scoti in ea 2. q. laterali, bi docet, sub ratione solum deitatis esse subiectum respectu veritatumque veritatum: esse autem non posse sub ratione voluntatis, facile probatur ex fundamento initio posito, & in 4. c. repetito. Quoniam subiectum ita debet esse quid in complexum, ut nulla de ipso supponatur in scientia facta enunciatio: quia ratione diximus c. 4. Deum sub ratione Glorificatoris non posse esse primum subiectum Theologiæ: quia in eo iam supponitur aliqua enunciatio, scilicet Deum esse glorificatorem: atqui eadem ratione Deus, quatenus à nobis concipitur sub ratione voluntatis, non est quid in complexum, sed de ipso supponitur facta enunciatio, qua dicitur velle aliquid facere: ergo sub hac ratione non potest esse primum subiectum Theologiæ.

Quod vero assererat Bassolis pro sua sententia, nullius ponderis est. Quamuis enim Deus non sit causa rerum, & veritatum contingentium in quantum est, sed in quantum vult, tamen primum subiectum, de quo omnia prædicantur, est ipsemet Deus in quantum est. Prædicata autem harum veritatum includunt actum voluntatis, ratione cuius de ipso Deo enunciantur: ratio igitur voluntatis potius se habet ex parte prædicati, quam subiecti: sicut de ratione Glorificatoris idem Bassolis supra docuerat.

Aduertit tamen Scotus q. illa 2. laterali §. Ad primam questionem, & sequenti, Deum, sub ratione Deitatis

Opinio Bassoli.

44.

Scotus.

Dissoluitur fundamentum Bassoli.

Ad Scotum.

45.

Deitatis, non eodem modo esse primū subiectum Theologiæ, quoad veritates necessarias, & contingentes. Nam necessarium dicitur esse subiectum quia eas virtute continet ex natura rei, & necessarium, quoniam adhuc non est eodem modo subiectū in Theologia secundum se sumpta, & in ea, vt est in viatoribus. In Theologia namque secundum se, quæ euidentiā habet harum veritatum, Deus ita est primum subiectum, vt euidentiā sui faciat euidentiā omnium illarum veritatum: in Theologia autem viatorum ea ratione solum, quia omnes illas in se continet, & aptum est euidentiā sui, si ea haberetur, illarum euidentiā generare. At vero Deus relatus ad veritates contingentes, est (inquit) primum subiectum, non quod virtute omnes illas contineat, sed quia est primum cui inesse debet primum prædicatum primæ veritatis contingens, quod est esse primum subiectum omnis prædicationis.

Quomodo Deus sit subiectū utriusque veritatis.
Ego verò non negarem, ita esse subiectum Theologiæ relatum ad utraq; veritates, vt eas in se, tamen non eodem modo continere dicatur. Contingentes enim liberè continet, vt causa efficiens illarum: necessarias autem necessarium ex natura rei, quod Scotus virtualiter appellauit: eo quod in illo virtute videtur inclusa eo ipso, quod illi ex natura rei conueniunt.

Existimo etiam contra Scotum, Deum non esse subiectum veritatum necessariorum, in Theologia secundum se, hæc enim aut est Theologia Dei, aut viuentium ipsius, sicuti est, utraque autem est simplicissima notitia ipsius, & omnium veritatum necessariorum, quæ, nostro modo intelligendi, ei in prædicatione tribuuntur, in simplici autem notitia non est subiectum, & prædicatum, solum igitur in nobis viatoribus qui compositione æternas veritates de Deo enuntiamus, Deus habet rationē subiecti, de quo nostra Theologia aliquid enuntiat, & tractare dicitur, at respectu veritatum contingentium, Deus certe subiectum est Theologiæ secundum se, nam Beati non vnico simplici intuitu videt essentiam Dei, & creaturas, vt infra d. 50. c. 7. ostendimus. Idcirco de Deo compositione enuntiare possunt, & diuisione negare ea, quæ sunt extra ipsum. Alia tamen ratio est Theologiæ, quam Deus de se habet, ipse enim vnico intuitu se, & cetera omnia cognoscit, quare cognitionis illius non possumus subiectum, & prædicatum re ipsa assignare, quauis nostro modo intelligendi utrumque in Deo distinguamus.

CAPVT VII.

Argumenta quæ possunt opponi.

Primum argumentum.
Contra hanc postremam sententiam sunt argumenta, ex quibus aliqua tertia opinio probare videntur. Primum est. Nulla scientia probat de suo subiecto an sit, & quid sit, sed hæc duo supponit, vt dicitur 1. Post. c. 1. sed Theologia non solum probat, quid sit Deus, sed etiam, an sit, ergo Deus non est subiectum ipsius. Respondgo in Theologia ex propriis eius principiis, quæ sola reuelatione nota sunt, hæc duo non probari ratione aliqua, sed ita supponi Deum esse, & primum ens omnium rerum principium, & causam esse, sicut esse Trinum, & vnum, & reliqua principia, quæ dicuntur articuli fidei. Theologus autem aliunde tanquam philosophus, rationibus à posteriori probat esse Deum, & esse vnum, quod intel-

lestimos homines non desint, qui aut negent vnū esse Deum, aut, quod peius est, negent, ipsum esse: superius enim dixi Theologum plurimum iuuari bona philosophia. Sed quauis fides doceat Deum esse, & esse vnum; hæc tamen duo non numerantur inter articulos fidei apud omnes, sed inter necessario requisita ad articulos, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 1. art. 5. ad 3. Supponitur autem quid sit Deus eo genere conceptus, quem pro hoc statu viatores habere possunt per species aliarum rerum, addendo, & dērahendo, vt notauit Egidius q. 27. illa 3. ad 3. & Henric. in Sum. art. citato ad 5. de quo genere cognitionis dicemus disp. 22. c. 4.

Secundo arguit Gregorius in co. 2. 2. in confirm. 2. conclusionis: Si Deus sub ratione Dei esset subiectum Theologiæ, posset etiam comprehendi à Theologia: ad habitum enim alicuius subiecti spectat considerare, quæcunque illi conueniunt, & conuenire possunt, quod idem est atque ipsum comprehendere: sed Deus comprehendere non potest à Theologia: ergo neque subiectum illius esse. Respondeo, non opus esse, habitum quemlibet scientiæ adesse esse perfectum, vt comprehendat subiectum, vel obiectum suum, & ita ipsum penetret, vt cognoscat omnia, quæ ei conuenire possunt: & quauis aliquis habitus esse possit in creatura, qui subiectum, vel obiectum creatum comprehendat, nullus tamen esse potest ita perfectus, vt circa Deum hoc modo operari possit, etiam ipsum clare intueatur satis ergo est, vt sit habitus scientiæ de aliquo subiecto, multa de ipso cognoscere, & de suis principiis deducere.

Aliud absurdum alij conantur inferre, vt refert Gregorius, si vltima opinio vera sit: quia nimirum sequeretur, esse aliquam Theologiam, quæ infinitas veritates de Deo cognoscat; eo quod de ipso sub ratione absoluta infinita enuntiare possunt. Quod tamen absurdum, non sequitur, si dicamus, Deum esse subiectum Theologiæ, sed peculiari illa ratione. Sed hoc etiam friuolum est: Dei namq; perfectiones, & prædicata, quæ ipsi conuenire dicuntur, non sunt numero infinita actū: aut enim sermo est de perfectionibus secundū se, & re ipsa: & hoc modo non sunt plures, nedum infinitæ: est enim in Deo simplicissima essentia, absque vlla alia distinctione quam personarum, infinita secundum esse, non tamen numero, & multitudinem. Si vero loquamur de perfectionibus Dei ab aliquo intellectu cognitis, adhuc non sunt infinitæ, primum quidem in intellectu diuino, & Beatorum: hi enim non distinguunt in Deo attributa, & perfectiones inter se, & ab essentia, vt disp. 113. cap. 2. dicemus. Deinde neque in intellectu viatorū infinitæ sunt: nullus enim hactenus infinitas de Deo concepit, aut inuenit perfectiones. Denique quamuis rerum creaturarum perfectiones, quæ ad Deum relatæ quodammodo de ipso, sicut effectus de causa, possunt prædicari, sint distinctæ, & infinitæ, si possibiles etiam comprehendas: opus tamen non est dari creatam aliquam scientiam, quæ omnes cognoscat: sed satis est, si aliquas præcipuas consideret. Gregorius autem non censet absurdum, esse scientiam aliquam creatam, quæ cognoscat Deum simul, & infinitas creaturas, vt inferius ostendimus disput. 50. c. 7. Nihil ergo hoc argumentum ipse Gregorius probat.

Tertio arguit Egidius, si Deus sub ratione absoluta Dei, non sub aliqua particulari, esset subiectum

Solutio.

28.
An Dei perfectiones infinitæ sint.

Tertium argumentum Egidius.

29.

Solutio.
Obiectum
Metaphysicæ
existens in
universum.

Metaphysica
enim qui differ-
rat à Theo-
logia.

Explicatur.
August.

subiectum Theologiæ, hæc doctrina non distinguetur à Metaphysica, quæ etiam Theologia, seu diuina scientia nuncupatur: Diuersæ enim facultates diuersa subiecta habere debent, de quibus disputent: & vna scientia vnius generis subiecti est ex Aristotele. Respondeo, primum subiectum Theologiæ naturalis hoc est Metaphysicæ non esse Deum, sed ens in vniuersum, neque Metaphysicam omnia, quæ considerat, ad Deum referre tanquam aliquid ei conueniens, sicut Theologia nostra. Deinde quamuis Metaphysica haberet Deum pro subiecto sibi adæquato, adhuc nostra Theologia ab ea differret eo, quod vnitatis scientiæ non solum debet considerari ex vnitatis subiecti, sed etiam ex vnitatis obiecti formalis, hoc est, principiorum, ex quibus procedit: & quoniam Metaphysica procedit ex principiis naturali lumine notis, Theologia vero nostra ex principiis reuelatis, diuersæ scientiæ de eodem subiecto constituuntur. Hæc vero differentia nota esse non potuit Aristoteli, qui tale genus principiorum, quale habet nostra Theologia, non cognouit.

Hactenus rationibus, quæ pro tertia sententia adduci poterant, satisfactum manet. Id vero quod ex Augustino adduxit Gregorius, nullius ponderis est: inde enim solum probatur doctrinam Theologiæ hoc efficere, vt fides, quæ ad beatitudinem perducit, gignatur, nutriatur, & roboretur: ob id tamen non fit, vt Deus sub ratione Glorificatoris sit subiectum Theologiæ, sed, vt effectus, & finis, ad quem ipsa nos promouet, sit beatitudo nostra.

ARTICVLVS VIII.

Virum sacra doctrina sit argumentatiua.

8.
1. *prol. ar. 5.*
Et Boet. 1. r.
q. 5. a. 7. Et
1. cont. gen.
cap. 3. Et 8.
lib. 2. de fide
c. 5. non lon-
ge à fine,
tom. 2.

AD octauam sic proceditur. Videtur quod hæc doctrina non sit argumentatiua: dicit enim Ambrosius in libr. de Sacramētis. Tolle argumenta, vbi fides quaritur. Sed in hac doctrina præcipue fides quaritur: vnde dicitur Ioan. 20. Hæc scripta sunt vt credatis. Ergo sacra doctrina non est argumentatiua.

2. Præterea. Si sit argumentatiua, aut argumentatur ex auctoritate, aut ex ratione. Si ex auctoritate, non videtur hoc congruere eius dignitati (nam locus ab auctoritate est infirmissimus secundum Boet.) Si etiam ex ratione, hoc non congruit eius fini: quia secundum Gregorium in homilia; fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Ergo sacra doctrina non est argumentatiua.

Sed contra est quod dicitur ad Tit. 1. de Episcopo amplexente eum, qui secundum doctrinam est fidelis sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.

Respondet dicendum, quod sicut alia scientiæ non argumentatur ad sua principia probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia in ipsis scientiis: ita hæc doctrina non argumen-

tatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei: sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum, sicut Apostolus 1. ad Corinth. 15. ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam. Sed tamen considerandum est in scientiis philosophicis, quod inferiores scientiæ, nec probant sua principia, nec contranegantem principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiæ: suprema vero inter eas, scilicet Metaphysica, disputat contra negantem sua principia, si aduersarius aliquid concedit; si autem nihil concedit, non potest cum eo disputare; potest tamen soluere rationes ipsius. Vnde sacra scriptura, cum non habeat superiorem, disputat cum negante sua principia; argumentando quidem, si aduersarius aliquid concedat eorum, quæ per diuinam reuelationem habentur: sicut per auctoritates sacra doctrinæ disputamus contra hæreticos: & per vnum articulum contra negantes alium. Si vero aduersarius nihil credat eorum, quæ diuinitus reuelantur: non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad soluendum rationes, si quas inducit, contra fidem. Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est probationes quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.

Ad primum ergo dicendum, quod licet argumenta rationis humanæ non habeant locum ad probandum, quæ fidei sunt, tamen ex articulis fidei hæc doctrina ad alia argumentatur, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quod argumentari ex auctoritate est maxime proprium huius doctrinæ: eo quod principia huius doctrinæ per reuelationem habentur. Et sic oportet, quod credatur auctoritati eorum, quibus reuelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati huius doctrinæ: nam licet locus ab auctoritate, quæ fundatur super ratione humana, sit infirmissimus, locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur super reuelatione diuinā, est efficacissimus. Vtitur tamen Sacra doctrina etiam ratione humana: non quidem ad probandum fidem (quia per hoc tollitur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet, quod naturalis ratio subseruiat fidei: sicut & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati. Vnde & Apostolus dicit 2. ad Corinth. 10. in capitiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Et inde est,

Colligitur
ex illo super
Topica C. 1.
lib. 6. non
procul à fine
et 1. r.

Hom. 26. in
Luang. in
prim. illius.

In cor. ars.

est, quod etiam auctoritatib. philosopho-
rum Sacra doctrina vtitur, ubi per rationē
naturalem veritatem cognoscere potue-
runt: sicut Paulus ad Rom. 17. inducit ver-
bum Arati dicentis: sicut & quidam poeta-
rum vestrorum dixerunt, genus Dei su-
mus: sed tamen Sacra doctrina huiusmodi
auctoritatibus vtitur quasi extraneis ar-
gumentis, & probabilib. Auctoritatib.
autem canonicæ scripturæ vtitur pro-
prie ex necessitate argumentando. Au-
doritatis autem aliorum Doctorum Ec-
clesiæ, quasi arguendo ex proprijs, sed
probabiliter. Innititur enim fides nostra
revelationi Apostolis, & Prophetis factæ,
qui canonicos libros scripserunt: non au-
tem revelationi, si qua fuit alijs Doctori-
bus facta. Vnde dicit Augustinus in epi-
stola ad Hieron. Solis enim scripturarum
libris, qui canonici appellantur, didici
hunc honorem deferre, ut nullum aucto-
rem eorum in scribendo errasse aliquid,
firmissime credam. Alios autem ita lego,
ut quantalibet sanctitatem doctrinaque
prepolleant: non ideo verum putem quod
ipsi ita senserunt, vel scripserunt.

Summa & confirmatio totius articuli.

Ex corpore articuli tres conclusiones elici
possunt. Prima est, Theologia nostra non vtitur argu-
mentis ad probanda sua principia, sed ex ipsi suppositis ad
alia probanda procedit. Secunda, Sicut ad Metaphysicum
pertinet, contra negantes ipsius principia, disputare; si
aliquid tanquam verum admittant, ex quo argumentari
possit; eo quod inter naturales disciplinas Metaphysica
nobis sit: ita etiam Theologi munus est, articulos fidei,
qui sunt huius scientiæ principia, contra hæreticos ex
Scriptura, quam ipsi admittunt, vel ex alio loco, in quo
cum Catholicis conveniunt, confirmare. Tertia, si quis
negans principia nihil admittat, ex quo contra ipsum
posse Theologus argumentari, solum super est, ut ad illius
argumenta, contra eosdem articulos facta, respondeat.
Demum in solutione secundi numerat Sanctus
Thomas locos Theologicos, ex quibus Theolo-
gia argumenta sua deponit.

Ex quibus omnibus colligitur responsum qua-
stionis propositæ in titulo articuli; nempe Theo-
logiam esse argumentativam, hoc est, ad ipsam
pertinere, argumentis, & rationibus uti, ut testatur
Paulus 2. ad Tim. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata
vtilis est ad docendum, ad arguendum, &c. hoc est, ad
redarguenda, & convincenda falsa dogmata: in
quem sensum Paulum interpretantur omnes La-
tini, & Græci Patres. Duo autem genera falorum
dogmatum Scriptura convinci possunt, vnum eo-
rum, quæ directe pugnant contra articulos fidei,
qui sunt principia Theologiæ, qualis est error
negantium Christi divinitatem, & contra huius-
modi argumentatur Theologia eo modo, quo in
secunda conclusione dictum est. Alterum genus
falsi dogmatis est, quod directe, & expresse non
est contra articulum fidei, ex illo tamen aliqua
contra articulum sequitur. Hoc autem genus erro-
ris est contra conclusiones ipsius Theologiæ,
illaque Theologus redarguit ex Scriptura, vel

alijs locis eo modo, quo in prima conclusione
diximus, quo genere argumentandi quam pluri-
mæ veritates in Ecclesia definitæ sunt, & contrariæ
sententiæ damnatæ: qualis est illa de causa formali
inhærente nostræ iustificacionis; de adoratione
Sanctorum, & imaginum, & alia id genus. Christus
etiam Dominus optimo genere argumentandi in
Euangelio Phariseos convicit, & ut probaret, li-
citum fuisse Apostolis in Sabbatho vellere spicas,
ut se reficerent, adduxit Luc. 6. exemplum Davidis,
qui panes propositionis ob instantem necessita-
tem comedit 1. Reg. 21. Deinde Matth. 19. probat
Christus non esse licitum dimittere uxorem qua-
cumque ex causa, & alibi sepe numero ex scriptura.
Nonnunquam etiam optima ratione arguatur.
Sic Luc. 11. malitiam Iudeorum ratione redarguit, &
probavit in digito, & virtute Dei eiecisse demonia.

Vtrumque genus argumentandi contra hæ-
reticos præsertim, sequens est apud sanctos Patres.
Quare immerito hæretici huius temporis Theo-
logiam nostram infamulant, quod formandis op-
timis rationibus & argumentis tam diligenter in-
cumbat. Dicunt enim scholasticis argumentatio-
nibus, & circulis simplicitatem doctrinæ, quæ à
Patribus mirum in modum commendatur; adeo
perturbari, ut potius ad decipiendum, seu ad con-
tendendum, quam ad docendum videatur inuenta:
imo ad nihil aliud vtilis, quam ad novas hæreses
excitandas, dum plus æ quo philosophicis rationi-
bus acuntur ingenia. Qua de causa Hieron. in
tract. ad Ctesiphontem contra Pelagianos appel-
lasse videtur philosophos, Patriarchas hæretico-
rum, & in Epist. 127. de 42. mansionibus hæreses
ipsas, primogenita philosophiæ nuncupavit, & 6.
Synod. generalis, act. 1. de Arrio inquit, suum
errorem ex philosophorum libris bibisse.

Verum hæ sunt hæreticorum argutiæ, quibus
non defunt cavillationes, ut nostram Theologiam
falso reprehendant. Quod si hæretici ipsi peruersis
Scripturæ interpretationibus & captiosis argu-
mentis ignorantes populos miserrime decipiunt,
non erit vitio vertendum Theologiæ nostræ, si his
rationibus diluendis intendat, & contra ipsos
hæreticos efficacioribus, & magis veris utatur. Ad
hæc, si aliquando Ecclesia logicam, & sophismata
Aug. eam esset Manichæus, ita timebat, ut publicè
Deum oraret ab ea liberari, non erit inutile, sed
necessarium in Ecclesia esse Theologos, qui item
arguendi bene calleant, & captiosa argumenta
hæreticorum diluere sciant: neque ob id simplici-
tas, & veritas doctrinæ tollitur, sed explicatur, &
descenditur: & si quæ denuo falsæ sententiæ oriun-
tur, facilius confutantur. Hæreses verò ex philo-
sophia bene intellecta ortæ non sunt in Ecclesia:
neque philosophi in sacra doctrina bene instructi
hæreticorum magistri, sed potius accerrimi op-
pugnatores extiterunt. Merito igitur Theologia
nostra argumentis vtitur, & rationibus, atque
vera, & sana philosophia interdum iuvatur. Non
negamus multæ interdum peccare Theologos in
suis circulis, disputationibus & questionibus per-
tractandis, aut nimium contentiose differentes,
aut inutilis miscentes: hæc tamen vitia ipsorum
sunt, non Theologiæ.

Dubitatio circa textum.

CIRCA primam conclusionem huius articuli
variant recentiores Thomistæ in explicanda
varia sen-
mente sentia.

Christus
ratione, &
scriptura
argumenta-
tus est.
Lucæ 6.
1. Reg. 21.
Matth. 19.

Lucæ 12.

32.
Obiectio hæ-
reticorum in
scholasticos
Theologos.

Hieronymus.

Responsio.

33.

Principia
quomodo
probentur à
Theologo,
varia sen-
sente sentia.

Epistol. 19.
paulo post
paulo. 10.2.

30.

2. ad Ti-
m. 3.

Quomodo
Theologus
arguat con-
tra falsa
dogmata.

31.

mente Doctoris sancti. Sunt enim qui putent solum docuisse, ad Theologum non pertinere principia sua, qui sunt articuli fidei, & alia ab Ecclesia definita, vel in scriptura tradita, euidenter, & necessario probare: non tamen negasse, probabiliter ratione posse à Theologo suaderi. Neque enim ad eum solum spectat sua principia explicare, sed etiam aliqua ratione ostendere. Quocirca in 2. 2. q. 1. a. 5. plerique Theologi credibilitatem mysteriorum nostre fidei probabilibus rationibus monstrare conantur. Dicunt ergo nostram Theologiam à philosophia differre, quod hæc à posteriori saltem sua principia euidenter probare possit, Theologia vero neque à priori, neque à posteriori euidenter, aut necessario demonstret, sed sola ratione probabiliter, ut dictum est.

Alij asserunt, hanc etiam probationem, qua Theologus demonstrat articulo credibilitatem, non esse ab habitu Theologiæ, quia ex reuelatis principijs non procedit, sed ex humanis rationibus, ab effectibus, quibus credibilitas teritur quoque humanarum demonstrari potest. Quare ad Theologum, prout Theologus est, non spectabit principia sua probare, ac proinde hoc genus probationis ab alio habitu erit, quam Theologiæ, quem dicunt esse habitum fidei humanæ. Hæc enim ostendit ea iure optimo esse credenda, quæ ab innumera hominum multitudine locis, & temporibus distant, sanctitate & literis insigni, absque ulla commodo diuitiarum, voluptatis, aut honoris, tam humilia, & humano sensui contraria cum summa veneratione recepta sunt. De qua re multa Euseb. lib. 1. de præparatione Euangel. & lib. 9. hist. c. 6. Iustin. in oratione exhortator ad gentes, & Augustinus 12. de ciuit. c. 10. 13. & 40. & 13. de Trinit. cap. 3. & 6.

Facilior est meo iudicio mens S. Thomæ, eaque verissima, scilicet principia Theologiæ ab ea absolute non probari, sed tanquam vera supponi, nisi in casu secundæ conclusionis, hoc est, contra negantes illa: cum eis enim, qui in fide Catholica iam bene sunt instructi, & parati ad credendum, quæ Romana Ecclesia proponit, de probandis articulis Theologia non agit, sed apud eos tanquam certos supponit, & ad inferendas nouas conclusiones, & veritates ex ipsis argumentatur. Probat vero prædictos articulos, quos supponere debebat, quando ab hæreticis negantur. Ceterum, ut inquit S. Thomas in 2. conclus. hoc modo Theologia solum arguere potest, quando quidam tantum articuli negantur, alij verò admittuntur: talia enim sunt Theologiæ principia, & ita connexa, ut nullo se inuare possint, & vnum ex alio probari: nempe Scriptura ex definitione Ecclesiæ, & traditione, & contra: sed apud eos tantum, qui aliquod eorum admittunt, Idem etiam principium in vniuersum, & confuse admissum probat particularia, quæ sub ipso continentur, & hoc etiam ad Theologum pertinet: verbi causa si hæreticus admittit aliquam in eo contentam ex prauo intellectu, & interpretatione illius; Theologus, qui debet, sic in Scriptura versatus, intra proprios terminos Theologiæ potest ipsum convincere: similiter si quis admittat alicuius Concilij auctoritatem, neget tamen, quod in eo definitum est, eodem modo à Theologo est convincendus: quia ratione Theologia nostra dici debet sapientia, &

Theologus sapiens. Nam iuxta Aristot. 6. Ethic. c. 7. sapientem non solum oportet ea scire, quæ ex principijs cognoscuntur, sed etiam circa prima dicere vera, ea nimium explicando, & declarando. Quocirca merito S. Thom. in 2. conclus. Theologiam in hoc Metaphysicæ comparauit, quod sit cæteris nobilior, & ideo sapientia dicatur.

Quod si nullum principium huiusmodi admittant, qui negant articulos fidei, nullam contra illos intra limites Theologiæ superest argumentum, sed ea solum deseruit ad diluendas eorum rationes, ut expressè notauit S. Thomas in 3. conclus. Quare recte dicebant posteriores Thomistæ, rationes illas, quibus probati solet nostre fidei credibilitas, ad Theologum non pertinere tanquam ipsi proprias, eis tamen ut nos possit, & debere contra negantes mysteria nostræ fidei, si nullum propriis locum admittant Scripturæ, traditionis, aut definitionis Ecclesiæ. Cum his enim humana potius ratione agendum est, ut primum ostendamus errorem suæ fidei, deinde probabilitatem nostræ, præsertim ex societate, quam habet cum vera lege. Hæc igitur rationes non sunt propriæ Theologiæ: alioqui non dixisset S. Thomas, contra eos, qui negant omnia Theologiæ principia, nihil aliud Theologo superest, quam eorum argumenta diluere.

DISPUTATIO XI.

An argumenta aduersariorum possit Theologus euidenter dissoluere.

Opinio Durandi. cap. 1.

Quid sentiat Caietanus. cap. 2.

Probabilior sententia. cap. 3.

CAPVT. I.

Opinio Durandi.

CIRCA tertiam conclusionem articuli restat disputandum, an Theologia nostra ita diluat aduersariorum argumenta, ut euidenter ostendat ea nihil probare. In hac vero difficultate putauit Durand. q. 1. Prol. num. 42. non posse Theologum euidenter sed solum probabiliter argumenta, quæ sunt contra mysteria nostræ fidei, dissoluere. Probat autem, quoniam aut ratio adducta contra articulum, defectum habet in forma, aut assumit falsam aliquam propositionem: prius potest euidenter cognosci, ac proinde si eo modo argumentum soluatur, de solutione euidenter constabit. Posterius verò euidenter esse non potest: nam sicut non potest de veritate mysterij euidenter constare, sic neque de falsitate eius, quod assumitur, ad probandum contrarium; vtriusque enim est eadem ratio: ut si quis arguat contra mysterium Trinitatis hoc modo, vbiunque est distinctio personarum, est etiam distinctio naturæ: sed in diuinis est distinctio personarum: ergo etiam naturæ, argumentum quidem non habet alium defectum, quam quod assumit maiorem propositionem falsam, cum in infinito secundum essentiam simul esse possit natura singularis, & personarum pluralitas: sed si de falsitate illius euidenter constaret, euidenter etiam appareret veritas contradictoriæ propositionis, nimirum, in aliqua natura singulari possunt esse plura supposita. Sic autem euidenter esset mysterium Trinitatis.

C. A.

Euseb.

Iustin.

Augustin.

Vera explicatio, S. Th.

35.

Aristot.

36.

S. Thom.

37.

i.

Theologus euidenter non soluit argumenta contraria, Durand.

Ratio Durand.